

# Pierij. Val. Leo, siue

**Q**uis meretrices quasdam ex Megara Sphinges appellatas ait, quòd humano ca-  
pitate mansuetudinem præ se ferrent, cæterum corpore reliquo leonino rapacita-  
tem, & imperiũ quod in amatores exercent, indicaret. Et Megaricæ Sphinges  
in opprobrium dici solitum de meretricibus, ob impuros scilicet mores Mega-  
rensiũ, quos veterum scriptores omnes damnant. Facit ad hanc rem veteris  
Poëtæ senariolus admodum venustus:

*Ἰὼν λεαίνης καὶ γυναικὸς ἀμότης.*

*Par est leana & femina crudelitas.*

Sed & ante urbem Corinthum Veneris erat templum, iuxtaq; Laidis tumulus  
cui lænæ simulacrum appositum videbatur, ariete inter priores pedes appre-  
henso: quod nimirum petulantiam eam indicabat, qua præcipuè lasciuunt arie-  
tes, de quibus loco suo diximus.

## TACITURNITAS.

**L**ænæ verò elinguis simulachrũ ex ære quod Athenienses statuere Iphicra  
tis opus, ex effigie quidẽ lænæ, meretricis nomen, ex linguæ verò defectu  
taciturnitatẽ eius indicabant. Cũ enim Armodius & Aristogiton de liberan-  
da à tyrannis patriæ cõsiliũ iniissent, coniuratioq; delata esset, comprehensam **E**  
illi lænam scortum eorum vtriq; admodum familiare, ad mortem vsq; tormẽ-  
tis variis excruciarunt; ea tamen constantissimè omnia pertulit, nec quenquam  
prodidit, supra scemineam imbecillitatem fortitudinis admirandẽ memorandũ  
exemplũ: quam Athenienses vt honoribus honestarent, ne scortum tamẽ cele-  
brare viderẽtur, eiusdem nominis animal ob taciturnitatem elingue, erigendũ  
decreuere. Constantissimũ meretricis huius exemplum citat Tertullianus, quò  
nostri animosiores fierẽt, cũ leui adeò de causã repertæ sint vel mulieres quę  
tam forti animo pro amicorũ salute non solũ tormenta paruifecerint intole-  
rabilia, sed sponte suum ipsę cruciatũ auxerint. Nam hæc eadem, vt ille ait, car-  
nifice iam fatigato, postremò linguã suam comestam in faciem tyrãni sæuientis  
expuit, vt expueret & vocem, ne cõiuratos cõfiteri possit, si etiã victa voluisset.

## CYZICENI.

*Cyziceno  
vũ pecunia*

**S**i quis verò incidat in monetam, quæ leonis imaginem ex vna parte habeat  
Sex altera verò Cybelem deorũ matrem, sciat eam esse Cyzicenorũ pecuniã  
quæ celebris admodum est ob id, quòd pulcherrimè sculpti erant. Et quia pro **F**  
XXVIII drachmis Atticis impurabatur, quæ summa ducales aureos duos red-  
dit, & aliquantulum plus: vna enim argenti drachma Marcelli Veneti pondus  
equat. Atq; hi sunt Cyziceni stateres, qui rem egregiè factam indicabant.

Magorum porrò superstitio, cõsiderata leonis alacritate perniciosissimòq; cur-  
su, mustelę dẽtem leonino corio adalligatũ, ad pedum tumorem atq; adeò im-  
becillitatem adhibere cõmentum est, id quod apud Lucianũ Tychiades ridet, or-  
ta inter Cleodemũ & Dinomachũ medicos contentione, vno eorum leoninũ  
altero ceruinũ corium præferente, vt per incantamenta Eucrati laboranti amu-  
letum aliquod apponerent. Controuersia verò omnis inter eos est, dum ille fo-  
mentũ aliquod miserabiliter implorat, vtrum ceruus an leo magis pedibus va-  
leat, atq; eorum vter alacriori feratur cursu. Meritò igitur Virgilianus Æneas,  
tergum Getuli immane leonis dat Salio, velocitatis præmium, qui primam in  
stadio coronam meruerat, nisi dolo Nisi fuisset inturbatus.

**Q**uid verò sibi velit Herculanus leo, magis diuulgatum est, quàm vllò sit  
opus

HERCVLANVS LEO QVID.